BRUNO

Socrates
Bruno

DE LENOCINIO SOCRATICO ORATIO,

Habita in inclutâ Universitate Noricâ die 19. Augusti,

A

M. JACOBO BRUNONE MEGAPOLITANO,

Cum decreto & authoritate SUPERIORUM Ethicæ & Græcæ linguæ Professionem Publicam auspicaturus esset.

Marsilius Ficinus in Protag. Platonis.

Socrates à Diotimâ fatidicâ artem amatoriam didicit, per quam sciebat per corporum pulchritudinem, quasi per vestigia quædam sagaciter venari, tum animi, tum mentis angelicæ, Deiq; pulchritudinem, eandemq; artem ubiq; docebat.

ALTDORPHI,

E Typographia Balthasaris Scherffij, Universitatis Typographi.

ANNO M. DC. XXVIII.

Σὺν Θεῷ

De

LENOCINIO SOCRATICO.

QUi in publico hoc, & ad dicendum amplissimo loco, inq; splendido isto, Clarissimorum & Excellentissimorum Virorum, Nobilissimorum item & Ornatissimorum juvenum cætu & frequentiâ verba facturi sunt, eò instituti sui rationes omnes referre debere intelligo, ut animos sibi Auditorum favore, consensu & benevolentiâ faciant conjunctissimos. Cujus sui voti, vel spei fructum tum maximè consequuntur, quando argumento, loco, tempori, & ipsis personis convenienti, rerum quoq; varietatem, verborum elegantiam, dicendiq; copiam & dignitatem adjungunt. Quam quidem, sive dignitatem, sive copiam, tantùm abest, ut mea sperare vel polliceri ausit tenuitas, & dicendi inopia, ut valde sibi metuat, ne quis Theocritéum illud occinat:

Quis pilos exiguos pro lana? An pica cum lusciniis cantare,
Vulcanusve ausit thalamos sperare Minervæ?

Tametsi enim Nobilissimorum & Amplissimorum SCHOLARCHARUM, DOMINORUM meorum colendissimorum authoritas, vestra quoq;, A. omnium ordinum honoratissimi, humanitas & benevolentia optima quæq; sperare me jubeant; sunt tamen plurima, quæ animum in metum dare, & orationis cursum, si quis sit, in primo hoc publicæ functionis meæ aditu (quem DEUS fortunatissimum esse jubeat!) impedire & sufflaminare possunt. Et quidem, ut alia omnia nunc

taceam; novistis ipsi, quod illo in loco verba mihi facienda sunt, ex quo antehac cum vestrâ omnium approbatione & laude multiplici, præclara, æqua, numerosa, delinifica, & à Tullianâ puritate minimè aliena audita est oratio, illius Viri, cujus memoria quidem in benedictione, sui tamen desiderium in omnium nostrûm animis frequens & subinde novum; Mihi imprimis, qui à paternâ ipsius manu magisterii insignia, & alia insuper beneficia accepi plurima, quorum memoriam, ingratus sim, nisi post funera beatissimi illius Senis sanctam reservavero. Jam verò cum nullũ habeam, quod ad aram & cineres istos feram hostimentum, laudes quoq; Viri infantissimæ linguæ audaciâ & culpâ deterere nolo: Memini enim me legere apud Gellium: *Turpius esse frigidè laudare, quàm insectanter vituperare.* Eat ergò ad posteros, & futuram (si qua speranda amplius) virtutis memoriam, vestrâ, vel suâ ipsius etiam commendatione & laude clarissimus, & de plurimis meritissimus Senex: Imò mundanâ ille inquietudine exemptus, & cœlesti beatorum Seniorum choro ascriptus æterno jam gaudio & felicitate fruatur! Ego interea priscæ fidei, eruditæ & Christianæ pietatis & virtutis plenum, omnibusq; ad benevolentiam & amorem quondam patens pectus, sancto & memori silentio æternùm mactabo & ad argumentum aliquod, à munere meo, & humanitate vestrâ non alienum, si permissum eligere, animum adjungam. Quamvis, ut verum fatear, nova hîc ingenio meo se ostendat inopia. Etenim Audd. quid de utilitate & præstantiâ philosophiæ moralis? quid de necessitate & suavitate Græcæ linguæ dici posset, quod non prius dixerit, antea laudatus, & mihi nominatissimus Dn. M. GEORGIUS QUECCIUS ὁ ἐν τοῖς

ἁγίοις;

ἀγίοις; Proſtant divinioris illius ingenii monumenta de ſummo bono, de triplici utilitate Ethicæ, de differentiis viri boni & mali, & multa Græcæ linguæ encomia & documenta, cui purpuræ, imprudens ſim, ut mitiſſimè dicam, ſi meos nunc aſſuam pannos; vel potius ſi in iſtâ copiâ meam prodam ingenii inopiam. At enimverò ſi vel maximè hoc nunc facio, veniam tamen à vobis A. me facilius imperraturum ſpero, quàm Andrii à Themiſtocle, de quibus audite, ſi placet, Herodotum. Venerat ille magnus Athenienſium princeps, contraq; Xerxem glorioſiſſimus triumphator; Et, quod ſolent truculentiſſimi Martis filii, ab inſulanis hiſce in tranſitu pecunię ſummam aliquam-magnam poſcebat; quâ negatâ, cum vehementi quadam animi commotione ſic dixiſſe fertur: Duo, quæ mecum habeo, Athenienſium numina potentiſſima, SUADELA nempe & NECESSITAS, hanc mihi à vobis extorquebunt pecuniam. Quid ad hoc Andrii? Nos, inquiunt, ad maximam ſoli tenuitatem redacti, duo quoq; Athenienſium longè valentiora habemus numina, INOPIAM nempe & IMPOSSIBILITATEM, quibus perpetuò obnoxii, pecuniam nullam damus, quicquid tua perſuadeat Peitho, vel urgeat neceſſitas. Sed bene habet mea ingenii paupertas, cui nullus ante portam Themiſtocles, & quod DEO acceptum referimus, noſtri adhuc ſine Hannibale muri. Ego quoq; iſtis adhuc ſervio numinibus, quæ deficiente thure, ſalsâ molâ litantem placido vultu reſpiciunt; quæq; humanitatis & benevolentiæ ſuæ copiâ, meam ita ditant inopiam, ut, cum domi de Sabæis meſſibus nihil ſpiret, vel falcem in alienam mittere, vel ex veterum doctorum myrotheciis aliquid depromere, & in medium afferre liberaliſſimè concedant. Quo fretus

permissu sive indultu de LENOCINIO SOCRATICO, sicuti apud Xenophontem, Platonem, aliosq; viros doctos descriptum legimus, dicere, vel potius balbutire constitui. Quod dum ago, vestram in audiendo benevolentiam A. etiam atq; etiam exoro.

Mercem bonam facile emptorem invenire; & vino vendibili non opus esse suspensâ hederâ, tralatitium ex antiquitate, & hoc quoq; seculo approbatum videtur esse proverbium. Credat, qui volet: Ego vix animum induci patiar, ut credam vel approbem. Cujus quidem pertinacię meæ caussas, si afferre deberē plures, omnes mercatores & propôlas, omnes οἰνοφόρους, cum opificibus omnibus testimonium mihi perhibituros, nullus dubito. Sed fortè nihil nunc attinet in judicum istorum, parum competentium, sententiam compromittere, cum ipsa, in cujus foro nunc versamur, causam pro se dicat VIRTUS. Quæ merx, quæ gemmæ, quis thesaurus, quod bonum, inter omnia, quæ mortalis possidere potest felicitas, ipsâ virtute melius est? Quanta quanta illa, tota pulchra, tota decora, felix, augusta, divina! Fingite vobis, A. virginem, cujus pectus formavit Justitia, mentem solidavit pietas, intellectum præparavit sapientia, oculos illustravit prudentia, aures latebravit veritas, linguam variavit comitas, faciem coloravit candor, mores ornavit humanitas, vultum figuravit verecundia, manus ditavit liberalitas, brachia roboravit fortitudo, pedes complanavit facilitas, verticem coronavit felicitas, aut ego valde fallor, aut illa ipsa erit, de quâ jam dixi, VIRTUS, beatissima & divinitùs homini concessa possessio, quam qui amat, uno fasce omnes in vitâ felicitates dotis loco possidet.

Ut ut verò pulchritudine, ut ut etiam divinitate & felicitate

felicitate se commendet, raros tamen illa, ut ita dicam emptores, raros amatores & procos invenit. ô! errorem maximè mirandum vel potius deplorandum. Quod inter mortales, quæso, impudicitiæ prostibulum, dummodò vultus decoro, vel etiam fuco blandiatur, quod non ad abjectissima ministeria paratos procos inveniat & rivales, qui ornamenta capillorum, radios oculorum, susurros aurium, delicias digitorum, & alia, quæ pudor loqui prohibet, tenerrimè & avidissimè captent, licet vel nihil, vel cum Ixione nubem pro Junone capiant Κορονόμοι; Multi enim frustra Corinthum eunt ad Laidem. Quid? quòd experientiâ comprobatum sit, hodieq; per eandem probetur, annis decrepidam, oculis lippientem, naribus stillantem, & rugosâ cute deformem anum, Veneri votum facientem, domi non raro invenire, qui dicat: *Tu mihi sola places*. Neq; grecus homo arcessendus, cui suum suggerat χαῖρε φίλον φῶς. Addo, A. cæcos, si vel naturâ tales fuerint, decus puellare habere perspectissimum, aliàs Homerus nunquam commendare potuisset -- ἑλικώπιδα κούρην, *hoc est:*

Quæ nigris oculis, facieq; decora puella est.

Rem miram, omniumq; stupore dignissimam, cæcum videre potuisse in scortillo, quod in virtute animadvertere non possunt oculatissimi! Quid cogitatis, A? nimirum illud, quod cogitando assequi non potuit Maro,

Cæcus amor quò nam mortalia pectora cogat:

Eò nempe, quò nunquam posset virtus omni suo ornatu. Memorabile est, quod de Insulanis in Belgio civibus memorat Cl. Piccartus in ridiculis. Urbis illius incolæ circiter annum Christi 1468. Carolo Burgundo, principi & triumphatori, inter alia spectacula, honori ejusdem preparata, certamen illud, quod olim in Idâ Phrygiæ mon-

giæ monte, judice Paride, sicuti est in fabulis, inter majorum gentium DEAS Junonem, Palladem & Venerem peractum, quasi postliminiò revocarunt, & ita repræsentarunt, ut quemadmodum ibi pulchritudo, ita hîc deformitas in contentionem veniret, Carolo spectatore & arbitro. Prodibat primùm toto corpore nuda, sed pulcherrimè coronata anus, quæ Veneris titulum præ se ferebat, procerâ quidem staturâ, corpore verò adeò obeso, ut nusquam quæquam in sexu illo visa fuerit crassior. Veneris hujus latus claudebat Juno, pari quidem staturâ, sed strigosa valdè, totaq; pellis & ossa. Denuo duabus hisce Pallas adjuncta fuit, staturâ brevissimâ & nana, gibbosa etiam illa, & omnibus corporis deformitatibus insignis. Et hæc ipsa disparium anicularum deformitas majori oblectamento principi fuisse putatur, quàm si Plato, voti sui compos, virtutē, omni ornatu insignem, oculis ejusdem conspicuam introduxisset. Quæ quidem non ideo commemoro A. ut risum captem in ludicris, sed ut attentionem & condolentiam impetrem in seriis, Virtus enim, favete verbo! hîc agitur; non infelix illa vitiorum vanitas, quæ primùm quidem excipit ridentes, sed plorantes & ejulantes dimittit. Etenim —— —— *ultima meta*

Præcipitat captos, volvitq; per ardua saxa,

Ut Ajacem, ut Paridem, ut Helenam, - *quæ Trojæ patriaq; fuit communis Erinnys.* Rectè communem vocat poëta: Neq; enim angustis limitibus circumscripta sunt vitiorum damna. Hei quam multi cęco illorum amore ebrii, & insano mentis errore, tanquam tartareo thyrso perciti, per pręsentissima corporis & animi discrimina, per cædes, per damna publica, per patriæ proditiones, per regnorum & urbium devastationes grassantur, quorum

rum pœnitere non lacrymis, sed patriç cineribus sopiri & elui solet. Et tamē tam turpibus, tam noxiis erroribus hallucinari & insanire nondum desinunt pleriq; mortalium, adeò ut facile veniam mereri possit ille, qui eam veteris adagii sententiam, de quâ supra, ita mutandam putaverit: Merx vendibilis fucus est; raros integritas habet emptores; & ipsi virtuti opus est suspensâ hederâ. Quod quidem prisco quoq; ævo probè intellexisse mihi videntur illi, qui ad præparandos hominum animos, & emendanda eorum studia, non secus ac Hercules quispiam, non quidem ad Augiæ, sed ad totius mundi stabulum purgandum processerunt: Quales primi omnium fuerunt Poëtæ, qui fabulas; hos secuti philosophi, qui Syllogismos, & Oratores qui enthymemata omnia VIRTUTI, tanquam peplum aliquod suæ Minervæ consecrarunt, & illam quasi suspenderunt hederam. Quos omnes si in scenam & auditorium hoc producerem, non uno in anno, ne dicam mense vel die, suam absolverent histrioniam. Rideret hîc Democritus, ibi fleret Heraclîtus, alibi dolium moveret Diogenes, numeros supputaret Euclides, atomos & vanitates conflaret Epicurus, colores distingueret Aristippus, frontem rugaret Zeno, ad divinitatem duceret Plato, ad civilitatem hortaretur Cicero, silentium captaret Pythagoras, patientiam profiteretur Anaxagoras, naturam scrutaretur Aristoteles, tonaret Æschines, fulguraret Pericles, Enthymemata vibraret Demosthenes, idq; omnes tantâ cum contentione, ut ne ipse de turbatis circulis querulus audiri posset Archimedes. Quoniam verò præstat, ut statatia hæc nostra sit actio, unus omnium nomine viam doceat & muniat virtuti, ut illa quoq; suos habeat amatores & rivales. Neq; enim

omnes pari ſucceſſu & felicitate in his operæ precium feciſſe conſtat. Quidam priſcos Gallos imitati, qui, ut eſt apud Strabonem, diſtricto ferro ſilentium imperarunt; ſic illi virtutem. Rigidi ſanè morum cenſores, & Thracio iſti homini non abſimiles, de quo Gellius, vel potius Herodes Atticus, qui ibidem loci contra ἀπάθειαν Stoicorum (de quibus me loqui intelligitis) nervosè diſputat. Viderat ille homo, colendi ruris ignarus, vicinum rubos latè atq; altè obortos excidentem, fraxinos ad ſummum propè verticem deputantem, ſoboles vitium, è radicibus caudicum ſuper terram fuſas evellentem, ſtolones in pomis aut oleïs procéros atq; decerptos amputantem, eum in finem, ut mundus purusq; fieret ager, arbor verò & vitis fœcundior. Infelix ille, falſâ imitatione doctus audaciam peccandi, arreptâ falce & ſecuri, vites ſuas ſibi omnes & oleas detruncat, comasq; arborum lætiſſimas, uberrimosq; vitium palmites decîdit, & fruteta atq; virgulta ſimul omnia, pomis frugibusq; gignendis felicia cum ſentibus & rubis, purificandi agri gratiâ, convellit. Dignus certè cui Alexander ſuum tranſcripſiſſet ſymbolum: Κήπωρον μισῶ, τὸν ἐκ ῥιζῶν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα: odi hortulanum, qui radicitùs cum ſtirpe evellit ſurculos. Alii à rigore iſto alieniſſimi, ne vis fieret novellis, & ad virtutem edecumatis ingeniis, leni manu illa flectere, mulcere, multa interdum indulgere, blandiri, & verborum dulcedine, fabularum lepore, ſimilium amænitate, tanquam nectare quodam, virtutis amaritiem, ut apparet, tollere; more illorum, qui – *Pueris abſinthia tetra medentes*

Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flavoq; liquore;
Ut puerorum ætas inprovida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum

Ab-

Absinthi laticem, deceptaq; non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valescat.

Quos inter si usquam mortalium, certè Socrates, sapientissimus ille, ipsius quidem oraculi testimonio, virtutis Doctor, familiam ducit, peculiari quadam imbutus arte, quàm cælitus se accepisse, suo jure gloriatur. Quam quidem artem, ut ille vocat, obstetritiam, cum miro gestuum & verborum illicio exerceret, & ut Circe aliqua efficacissimo linguæ veneficio, cum fascini cujusdam suspicione, non vocem, sed mentem ipsam eriperet, lacrymas excuteret, comiterq; ad virtutem amandam duceret pertinacissimos honestatis hostes, ut totos mutatos se prius, quàm molestiâ affectos cognoverint, modo Silenus, modo εἴρων, modò communis generis humani Leno dictis est. Quæ quidem appellatio, nequaquam in fraudem & ignominiam Viro integerrimo afficta videri debet: Neq; enim Socrates stupri conciliator aut arbiter, vel, ut Græci vocant, πορνοβοσκός, sed virtutis & honestatis Leno putandus est, citra vocabuli hujus abusum. Præterquam enim, quod consuetudo hodieq; hoc ferat, ut optimis nominibus rem pessimam, & contra pessimo nomine rem optimam efferamus; ipsos quoq; Legatos, quos hodie, voce, ni fallor, Italâ, Ambassadores appellant, olim lenones dictos esse, ex Justino probant docti. Quemadmodum igitur nihil sancti inde sibi vendicare debet meretrix vel cynædus, licet à sanctitate in ipsâ linguâ sanctâ nomen habeant; Ita Socraticæ integritati nihil derogatur, sive lenonem illum, sive etiam hypocritam dicas: Honesta enim hypocrisis ipsi quoq; Demostheni in suâ arte utramq; fecit paginam. Quod tamen ita accipi nolim, ac si unicuiq; versipelli æquivocationis architecto &

supplantatori; vel versuto & ad malitiosas artes, quas politicas hodiè vocant, erudito Machiavelli filio, in Socrate patrocinium paratum putem. Si quis verò ingenii errore hoc fieri existimat, illi ego in aurem: Et olim hodieq; novisse homines, aliter cervos olere, aliter verò hircos. Quæ si non capiat, ut sapiat nigræ ἑταιρείας socius, vel callidus alius Ulysses, obviam fortè habebit Ajacem vel Achillem, qui hæc ingerat:

Non sum suendas natus ad fallacias
Technasq;, talis nec mihi fuit parens:

Ego poti⁹ - *Odi illum haud minus, atq; horrendi limen averni,*
Quicunq; ore aliud, tacitoq; aliud sub corde recondit.

Vel Venusinus ille intento digito sic notabit:

Hic niger est, hunc tu Germane caveto.

Candidus noster Socrates vulpem prodit in verbis; nigri illi abscondunt in pectore: Blanditur noster, ut ædificet & juvet; Illi ut destruant & pessundent incautos. Vix ergò cælum & tellus, lux & tenebre, virtus & vitium tanto discrimine distant, quàm distant lenocinium Socratis, à diabolicis seculi blandimentis, fæda bonorum morum scabie, priscæq; fidei peste. Dissimulavit noster, sed honestatem & virtutem nunquam deseruit, instar navarchæ, qui, licet vela obliquare cogatur cursum tamen retinet, & metã observat accuratissimè; Ita Socrates in periculoso perditissimæ Atheniensis Reip. navigio, multos virtutis adoravit scopulos, non quod sibi temeret, sed ut suæ Dominæ, quam intimè amabat, rectè prospiceret. Quanti verò illam fecerit, vel inde constat, quod pedibus discalceatis, mente verò & corde obfirmato per Xanthippæ rixas, per Aristophanicas nebulas, per Meliti aliorumve calumnias, per judicum iniquissimorum injurias, per ipsas deniq; mortis violentæ minas intrepidè eundo, ne quidem in ipso

agone ab hac suâ Cynosurâ oculos averterit, licet aliàs gestibus & verbis in alia omnia ivisse, & fædissimorum quorumq; vitiorum patronus factus fuisse creditus sit: Quod ex sermocinatione cum Theodotâ apud Xenophontem, & cum Alcibiade apud Platonem institutâ legenti palam erit. Cui quidem sermocinationi prorsus gemina videtur esse illa, quam teste Cicerone, Aspasia cum Xenophonte & uxore ejus instituit. Cujus narratio cum jucunda sit, modumq; lenocinandi Socraticũ evidenter ostendat, eam huc afferre erit operæ. Ita verò Aspasia primum ad Xenophontis uxorem dirigit sermonem: Dic mihi, inquit, cara fæmina, si vicina tuũ melius habeat aurum, quam tu habes, utrum illius, an tuum malis? Illius inquit. Quod si vestem & cæterum ornatum muliebrem precii majoris habeat, quàm tu habes, tuumne an illius malis? Illius verò respondit. Age, inquit, si virum illa meliorem habeat, quam tu habes, utrumne tuum, an illius malis? Hîc mulier, interrogationum Socraticarum laqueis quasi constricta & capta, erubuit, & tacuit. Aspasia porrò ipsum quoq; Xenophontem allocuta est; Quæso, inquit, Xenophon, si vicinus tuus meliorem equum habeat, quam tu habes; tuumne equum malis an illius? Illius, inquit. Quod si fundum meliorem habeat, quàm tu habes; utrum tandem habere malis? Illum, inquit, meliorem scilicet. Quod si uxorem meliorem, quàm tu habes, utrum illius malis? Xenophon non immemor, nequaquam ita extendendos uxorii agelli terminos, sed officii maritalis usum intra conjugis charitatem claudendum, ipse quoq; tacuit. Agite verò A. nunc ipsum videbimus festivitatis omnis & leporis magistrum Socratem, non in Lycéo solum & conviviis, sed in foro etiam, in the-

atris, in compitis, & porticibus virtuti suæ lenocinantem. Publicus erat locus in quo Glaucônem Aristônis filium offendebat superbientem. Juvenis erat, uti Xenophon commemorat, nondum viginti annos natus, quando Magistratus usurpare munus, & Reipub. præses esse cuperet. Propinquos & amicos habebat plurimos, sed horum nemo ab instituto eum revocare, & ad modestiam perducere potuit, excepto solo Socrate. Adiit ille adolescentem, & hisce verbis blandè compellavit. Præesse Reipub. cogitas, mi Glauco? Annuente eo, Socrates propositum laudare, & commendare conatum. Si quid aliud, inquit, humanis in rebus, hoc certè præclarum est: Perspicuum est enim, futurum, ut si hoc impetres, & ipse consequi possis ea, quæ concupiveris, & amicis usui esse, & familiam paternam extollere, & amplificare patriam: Nominis insuper celebritatem, primùm in hac urbe, deinde in Græcia, & fortassis etiã, uti Themistocles, apud barbaros consequeris. Breviter, ubicunq; gentium & locorum fueris, nusquam non eris illustris. Magnificam verò vocem, & ad inflandum per se tumidum adolescentulum accommodatissimam! Quem non Spiritum concepisse putatis ambitiosulum? Talem fortè, cui si Dii corpus ipsum æquassent, cœlo capi non potuisset. Erat enim ingenium Alcibiadi prorsus germanum, vel Alexandro ambitioso Philippi adolescentulo, cui salem affricat Satyricus:

Unus Pelléo juveni non sufficit orbis,
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Ut Gyaræ clausus scopulis, parvâq; Seripho.

Verùm quod bullis evenit, quæ cum maximè tument, levissimo vento vel aurâ tactæ subsidunt: Ita Glauco Socraticæ moderationis spiritu afflatus, ad inculpatæ mode-

modestiæ terminos pervenit, & vanus ille ambitionis tumor planè resedit. Quæsitus enim, & humaniter examinatus, modestè agnoscit, se nec pacis nec belli artes, quas novisse publici moderatoris intererat, didicisse; adeoq; imparem se esse, cui oneraria committatur, cū in celôce satis sibi adhuc negotii. Vel quod Socrates ei suggerebat: Qui talentum unum gestare nequit, illi neq; conandum, ut plura gestet. Hæc monitus juvenis, cautius in posterum mercari, & cohibere didicit spiritum. declinato quoq; superbiæ scopulo, in sapientiæ portum delatus est, ubi more majorum votivam Neptuno suspendit tabulam cum hac epigraphe:

Nemo volet pelago posthac se credere, cymbam
Si rudis in parvo flectere nauta lacu.

In eodem navigio, licet non in eâdem navi, periclitabatur Euthydemus αὐτοδίδακτος, & ut sibi videbatur πάνσοφος, hujus quoq; misertus Socrates, post aliquam ingenii periclitationem eò perduxit, ut se quidquam scire prorsus negaret, quando seipsum nosse nondum didicisset. ô Salutaris, ô Divinâ, & omni voto major Sapientia suam non ignorare ignorantiam! Revera

— è cælo descendit γνῶθι σεαυτόν,
Figendum, & memori tractandum pectore,

Ut canit Poëta. Quamdiu enim falsæ suæ sapientiæ fiduciâ desipiunt homines, ad veram Sapientiam nunquam perveniunt. Complicarem oratiunculæ meæ vela, nisi in restituendo Aristodemo nobis quoq; suam deberet industriam Socrates. Per ambages ille, ut solet, & flexuosos interrogationum cuniculos procedit; Quæ via ne tædio sit, lubet facere compendiariam, per vestram, uti spero, attentionis & benevolentię copiam. Aristodemus ille ἄθεος erat, & à Deorum cultu alienissimum

ſimum habebat animum; non quidem, ut ego exiſtimo, propriâ ſuâ culpâ, ſed vecordi eorum errore, qui primi apud Athenienſes, illos ſacrificiis coli præceperant Deos, quos non dormire ſolùm, ſed & ſcortari, furari, vulnera pati, & infligere, aliaq; nefanda facinora committere, auditione perceperat. Horũ, inquam, culpâ, omnem ille Deorum immortalium reverentiam non ex ore ſolum, ſed ex corde ſuo penitus ejecerat; permotus haud dubiè Euripidéo illo: οἱ θεοὶ εἰ δρῶσι φαῦλον, οὐκ εἰσὶ θεοί. Quid ad hæc Socrates? Videbat ille morbi periculum & damnum non iſti duntaxat homini, ſed toti Reipub. exitiale futurum. Ablato enim Palladio, hoc eſt, ut non nemo interpretatur, excuſſo ex hominum cordibus & animis Deorum metu & reverentiâ, facile hoſti præda fieri poteſt Ilium, vel alia, licet municiſſima, civitas, & potentiſſimum regnum. Ut itaq; Ariſtodemum, & alios in eodem valetudinario decumbentes, vel potius, ut fieri ſolet, inter ſanos liberè ambulantes, à periculoſiſſimo iſthoc morbo liberaret, & mentem ſanitati reſtitueret, omnem Doctor ille movit lapidem. Adit, ſalutat, humaniſſimâ compellatione interrogat: Optime Ariſtodéme, an unquam, inquit, cogitatio vel admiratio ſubit eorum artificum, qui in arte ſuâ præcipuè claruerunt? Quidni, reſpondet ille; Ego Homerum in pangendis carminibus admiratus ſum maximè; In dithyrambo Menalippidem; In Tragœdiâ Sophoclem; In ſtatuariâ polycletum; In pictura Zeuxin: Et propter artis & ingenii monimenta, quæ extant, illos veneror. Hos tu non admiratione ſolùm, ſed veneratione dignos judicas, ſubjecit Socrates, qui qui ſtatuas fingunt, & pingunt imagines, res fortuitas, vel, ut verius dicam, vix rerum umbras & ſimulachra,

men-

mentis & motûs expertia, quid deberi putas illi opifici, qui temetipsum non statuam, ut Polycletus, neq; simulachrum aliquod, ut Zeuxis, sed vivum hominem finxit & formavit? Nullum, crede mihi, vel ipse vide, in mortali illo immortalis animi tui hospitio membrũ etiam minutissimum, quod non longè majorem perfectionem habeat, quàm omnes Polycleti statuæ, vel Zeuxis imagines. Relictis ergò simulachris vel nugis istis, in te, tanquam in rem præsentem descende, & primùm colorum arbitros mirare oculos, palpebris, tanquam foribus, munitos, & superciliis, tanquam suggrundiis quibusdã tectos, ne sudor de capite manans eos lædat. Aures mirare, vocum judices, quas uno tempore excipiunt plurimas, nunquam tamen ita replentur, ut plures non admittant. Dentes mirare, fidos oris satellites, quorum anteriores ad secandum, molares ad comminuendum cibum factos esse cognoscis. Os ipsum mirare, firmatam victûs & verborum januam, quam miro quodam consilio oculis & naribus supposuit Numen supremum, ut cibus & potus antequam gutturi committerentur, oculorum & narium judicium subirent: Excrementorum autem tubulos longè ab his avertit, ut id, quòd oculis vel naribus ingratum, longissimè averteretur. Deniq; totam corporis tui mirare molem: Multum ubiq; humorum, multum etiam terrę, horum tamen plus non habet corpus tuum, quàm quod primitùs ad humanam fabricam ordinavit sapientissimus rerum opifex & arbiter. Nihil nunc de sobolis procreandæ cupiditate; nihil de alendi eandem cura, matribus inprimis insita; nihil de bonæ conscientiæ gaudio; nihil de vitæ desiderio; de mortis & pænarum metu. Quę omnia cum non fortuitò exstitisse, sed certo consilio,

& admirando modo facta esse intelligis. Numen aliquod vel Deum, horum omnium authorem existere non negabis. Crederem, inquis, si alicubi appareret illud Numen. Nihil agis, Aristodeme; Animus tuus cuinam apparet? Ne tibi quidem ipsi; cujus tamen operationes & imperium in corpus evidentissimè sentis. Si ad nutum mentis tuæ totum movetur corpus; utiq; ad nutum altissimi Numinis hoc movetur Universum. Si oculus tuus ad multa stadia pertingere potest, quidni DEI oculus longè clarissimus simul intueretur omnia? Si animus tuus de rebus quæ hîc accidunt, tum de illis, quæ in locis remotissimis fiunt, cogitat, quidni DEI sapientia omnia simul complecti & curam eorum habere posset? Quare ô! imprudentem te, Aristodeme, si ideo DEOS esse dubitas, quod in apricum non prodeant, ut formas eorum videas: opera illorum intuere, & ipsi se tibi ostendent in laudem & gloriam, quæ eis debetur perpetuò; Et ita se ostendent, ut ubiq; eos præsentes oculo inconnivo humanas actiones intueri, & motus cogitationesq; mortalium, antequam moveant, vel cogitent cognitas & perspectas habere, intelligas. ô efficacissimam, & vel Christiano homine dignam vocem! ô salutare sapientis linguæ veneficium & nequitiam, quâ qui decepit justior eo, qui non decepit; & qui deceptus, sapientior eo, qui nunquam decipitur, quod de Tragœdiis olim dicebat Gorgias Leontinus. Nimirum eò Aristodemum aliaq; impietatis & vitiorum mancipia perduxit, ut non modo, cum ab hominibus conspicerentur, à turpibus & iniquis actionib⁹ abstinerent, sed quoties in solitudine sibi agendum, nihil eorum, quæ agerent, Diis occultum esse, & ita in quovis angulo Numinis omniscii rationem & reverentiam habendam.

bendam existimarent. ô Aristodeme! Tu quantum mutatus ab illo, cujus

Ante quidem dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.
En tua nunc alio mens informata magistro
Sana est, & metuunt sanctum præcordia numen!

Numen verò sanctum Socratem cognovisse & docuisse, dicat Christianus, (neq; enim quid dici hîc possit, ignoro) tibi quidem nunquam concedo. Cognoverit alius; Socrati sanè homini non cælo nato, sed, quod ipse de se prædicabat, MUNDANO, nunquam fortè in animum venire potuit illud Nazianzeni: Θυμὲ βλέψον ἄνω, quippe qui perpetuo in ore habuit illud: ȣ̓ τὸ κάτω, ἀλλὰ τὸ ἄνω φρονεῖν δεῖ. *quæ supra nos, nihil ad nos.* Taceo jam, æternum & venerabile Numen immensum esse, & incomprehensibile, inq; luce habitare, quam Apostolus vocat, inaccessâ, cujus splendor cogitationum nostrarum intentionem ita retundit, ut, quò diutiùs cogitemus, eò res nobis videatur obscurior. Urget telum! Et, quod cognoscitis A. meæ potius, quàm Socraticæ pietati cavendum est. Ad quam defendendam, si verbis potius, quàm factis res ageretur, multa dici possent: Quoniam verò, non quid ego dicere, sed quid audire vos velitis, attendendum nunc est, dicam paucissima, non ex meo cerebro, sed ex ore Apostoli profecta, & in tabulas sacras relata verba, quibus luculenter testatur gentium Doctor, nec DEI, nec legis cognitionem planè ignotam fuisse gentilibus: οἵτινες, inquit, γνόντες τὸν Θεὸν, καὶ ἐπιγνόντες τὸ δικαίωμα τȣ̃ Θεȣ̃. Eâ nempe cognitione, quâ ab operibus ad ipsum opificem ducitur spectator animus. Mysteria verò de DEO TRINUNO ἄῤῥητα καὶ

ἀνεξιχνίαστα, tantum abeſt, ut ab homine Ethnico cognoſci poſſe exiſtimem, ut identidem monendum putem Chriſtianum, ne rimetur, ſed piè credat, & vivat honeſtè. Sed quò abripior? In alio campo illa metenda ſeges eſt. Mihi verò non Apelle quodam, ſed horâ monente, manus jam movenda de tabulâ, & claudendum Socraticum Lenocinium. Quod illis quidem præcipuè relinquendum putamus, qui ad ſollicitandos hominum animos, & ad ingerendum virtutis amorem iſtis egent blandimentis. Tibi verò virtutis amore flagrantiſſima, & ad optima quæq; nata & condocefacta juventus, ad accuratam morum doctrinam, & ad virtutem intus & in cute cognoſcendam aliâ viâ opus eſt, aliusq; requiritur Hermes. Qui verò ille ſit, ſuo loco & tempore, DEO docente & ducente docebo.

Vobis nunc omnium Facultatum DOCTORIBUS & PROFESSORIB⁹ celeberrimis, Prę́ceptorib⁹, Fautorib⁹, & Collegis honoratiſſimis gratias ago & habeo maximas, quod me hominem exoticum, benevolentiâ, favore & beneficiis, quæ oblivioni tradenda non ſunt, dignari, & honorificâ jam præſentiâ cruda adhuc mea & impolita ſtudia in ſpem meliorem erigere volueritis. Ulterius, quæſo, huic meo veſtrum quoq; adjungite votum, DEum ſeriò precati, ut reductâ pace publicâ, ſtudia mea unà cum veſtris, ad nominis ſui gloriam, & Reipub. literariæ incrementum dirigat & promoveat! Quod votum, ſicuti à te, ô florentiſſima Studioſorum corona, conceptum iri confido, ita tibi

Quicquid in arte mea poſſim promittere curæ,

Studii & diligentiæ, cum omnibus amoris & benevolentiæ officiis bonâ fide promitto.

F I N I S.

316 .B87 (ee)	De lenocinio socratico oratio.
	345001
Ap 4 - '46	Bindery
Ap	

316 .B87 (ee)	Bruno De lenocin... tico oratio.
Ap 4 - '46	Bindery

345 001
Bruno

